

PSALMVS XLIX.

AD PRÆCINENDVM FILIIS KORAH, PSALMVS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Fiduciam & insolentiam diuitum traducit, commemorans quàm stultum sit propter diuitias in hac vita insolescere, & bonis huius seculi ita frui, vt non solum in presenti vanitatem diuitiarum sis experturus, sed & post hanc vitam perpetua sit miseria laborandum, vbi qui hinc iustitia student, & à diuitibus premuntur in vita, perpetuò sunt regnaturi.



VDITE hoc omnes populi, auribus percipite omnes inhabitatores seculi. VERS. I.

2. Etiam filij Adam, etiam filij magnatum simul diues ac pauper.

Etiam filij Adam, etiam filij magnatum. ] Ebr. אֲדָמָה בְּנֵי אֲדָמָה גְּבִי אֲרָם בְּנֵי אֲרָם. Græc. & vulg.

Lat. Quiq; terrigenæ & filij hominum. Hieron. Tam filij Adam, quàm filij singulorum. Iust. n. Et filij hominis, & filij viri. Felix. Etiam filij Adam, etiam filij viri. Felinus: Quiq; plebeij, quiq; dignitate aliqua pollentes. Sic & Tigur.

LECTIO. Vers. 2.

Ipso exordio Psaltes animos mortalium omnium excitat, & ad audiendum inuitat, innuens rem esse, de qua dicturus est, ad omnes pertinentem. Primo versa in genere omnes, altero per diuisionem & magnates & plebem, diuites ac pauperes aduocat. Amplissimū colligit auditorium. Videt enim istam admonitionem de vanitate eorum qui diuitijs & prosperitati seculi præsentis student, talem esse, quæ sit nemini non inculcanda, eò quòd is morbus, quem perstringere instituit, vniuersum mortalium genus occuparit. Itaq; quasi in specula quadam constitutus ita sublimi, vt totum Orbem contemplari queat, omnes populos, omnes totius Orbis inhabitatores, potentes ac plebeios, diuites ac pauperes conuocat, & ad audiendum inuitat.

EXPLANATIO.

Videmus ergo mox initio Psalms insaniam diuitiarum, & studium prosperitatis terrenæ ac perituri, esse iam inueteratum malum & non recens, vt subinde putamus, Licet facile crediderim, hoc malum temporū successu in peius, vt fieri solet, abijisse. Deinde videmus esse generale omnium mortalium, omnium nationū, omnium ordinum ac statuum. Quòd si roges, quid agatur ab vniuersis vbiq; nationibus, & omnibus omnium nationum mortalibus: non poteris breuitis ac veriùs respondere, quàm quòd prosperitati præsentis vitæ studetur. Nam huc omnia mortalium studia tendunt.

OBS. 1.

Notandum etiam est, quòd non solum potentes ac diuites aduocat, quos ab ista vanitate coerceat, sed & pauperes. Sunt autem pauperes, οἱ ἐν τῷ ἀναγκάσει καὶ ἐν τῇ ἀποστεινότητι: quemadmodum diuites econtrà, οἱ τὸν ἄριστον τὸν ἄριστον ἀποβουνοῦντες. Cùm ergo pauperes ne necessaria quidem habeant: quare ratione ad istam Ecclesiam conuocantur cùm potētibus ac diuitibus? Quid ad ipsos pertinere potest ista generis admonitio? Sanè plurimum.

OBS. 2.

Primū, licet neq; diuitias, neq; luxum diuitiarum habeant, eandem tamen radicem in corde habent, vnde hoc malum pullulat, quo pereunt diuites. Non enim Psaltes hoc agit, vt culpet diuitias, quas multi sancti ab ipso crimine possederunt: sed vt vanum diuitiarum studium traducat, & vitandum doceat. Cùm ergo pauper desiderio & admiratione diuitiarum, & luxus eius qui in diuitijs, per abusum est, præditus sit, rectè ad hanc concionem & ipse quoq; vocatur. Deinde opus est, vt adinoneatur, ne molestè ferat, si viderit se in penuria constituto, reliquos omnibus abundare bonorum copijs. Et hoc admonebitur versu 16.

OBS. 3.

Obseruandum est & hoc, quòd non satis habens semel dixisse, אָזְנוֹתַי אֲשִׁרְא אָזְנוֹתַי Audite: repetit secundò id est, אָזְנוֹתַי id est, Aures attendite & arrigite, qua ingeminatione planè declarat, diligenter & summo studio audiendam esse in omnibus istam admonitionem, de fugienda vanitate eius fiducia, quæ in diuitias collocatur: ita vt si diligenter auscultauerimus, & quæ dicuntur expendimus, spes sit rerum meliorum. Iam verò postquam pars planè non audit (nam vt delicatorum venter, ita auarorum loculi aures non habent) & ea portio quæ audit, frigidè audit, non expendens quæ dicantur: quid spei superest in hac causa? Planè nihil!

OBS. 4.

Omnes habitatores seculi. ] Non simpliciter vocat eos Orbis habitatores, sed vtitur dictio- ne omnium accommodatissima. Nam הָלַךְ significat breuitatem huius præsentis vitæ, vt videre est Psalm. 89. vers. 47. vbi Psaltes dicit: זָכַר אֲנִי מִהַלְכִי: hoc est, Memor esto quàm breuis sim vitæ, quantulum sit æuum meum. Sed quis ignorat, habitationem hanc nostram in hoc seculo esse perbreuem, vt opus sit huius admonere? Imò rogàrim, quisnam sit, qui hoc dignè expendat? Iam cùm nemo non huius obliuiscatur, atque ideò præsentis seculi bonis ac delicijs sese, quantum fieri potest, immergat, necessarium visum est Psalti, illius mox ab initio admonere. Hac de re vide suprâ Psalm 17 vers. 14.

Quòd si huius perpetuò memòr esset diues ac potens, haud facile propter diuitiarum abundantiam superbiret. Si huius recordaretur pauper, penuriam rerum qua laborat, moderatiùs ferret: scilicet decresceret in diuitibus insolentia & luxus, in potentibus regnandi ambitio, in pauperibus animi molestia. Omnibus occurreret perpetuò illud Sapientis: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et: Nil stabile sub sole. Et Iob: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs qui quasi flos egreditur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et: Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et illud philosophicum: Homo bulla.

H 3 3 06